

Jesus per quadraginta dies ieiunat et tentatur.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Mattháeum 4, 1-11

In illo témpore:

- ¹ Iesus ductus est in desértum a Spíritu,
ut tentarétur a Diábolo.
- ² Et cum ieiunásset
quadragínta diébus et quadragínta nóctibus,
póstea esúriit.
- ³ Et accédens temptátor dixit ei:
«Si Fílius Dei es,
dic, ut lápides isti panes fiant».
- ⁴ Qui respóndens dixit:
«Scriptum est:
“Non in pane solo vivet homo,
sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei”».
- ⁵ Tunc assúmit eum Diábolus in sanctam civitátem
et státuit eum supra pinnáculum templi
- ⁶ et dicit ei:
«Si Fílius Dei es,
mitte te deórsum.
Scriptum est enim:
“Angelis suis mandábit de te,
et in mánibus tollent te,
ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum”».
- ⁷ Ait illi Iesus:
«Rursum scriptum est:
“Non tentábis Dóminum Deum tuum”».
- ⁸ Iterum assúmit eum Diábolus
in montem excélsu valde
et osténdit ei ómnia regna mundi et glóriam eórum
- ⁹ et dicit illi:

«Hæc tibi ómnia dabo, si cadens adoráveris me».

¹⁰ Tunc dicit ei Iesus:

«Vade, Sátanas!

Scriptum est enim:

“Dóminum Deum tuum adorábis
et illi soli sérvies”».

¹¹ Tunc relíquit eum Diábolus,
et ecce ángeli accessérunt et ministrábant ei.

Verbum Dómini.